



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Festum Ascensionis Dominicæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

In Festo Ascensionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

PRæcessit Jesus ad nostram gloriám :
Præparavit nobis sedem à dextris
Patris. Nostrúm est, vitâ exemplari, &
contemptu sæculi occupare, & assequi
eam. Utique non morabimur ? ergo
citò ad labores ! & ad virtutum itinera.

Instructio meritoria.

Uteò feliciùs pergamus, tres primas
Decades ex SS. Rosario Glorioso recite-
mus, & in fine inter angelicos jubilos
intonemus *Te Deum Laudamus*. Læte-
tur cor quærentium Dominum.

II.

VAdit Jesus. Invitat nos, ut seque-
mur. Et quomodo ? relinquamus
mundum ùt Jesus, & deponamus vana,
inania, transitoria desideria, fursúmque
tendamus ad immortalia. Sic pervenie-
mus, ubi regnat Christus Jesus mortis
triumphator nobilis. Ab exilio itaque
ad patriam !

Instructio meritoria.

Et ne aberremus, solitudinem hodie

D 3

quæ-

quæramus, aut conversationi intersimus
cautissimi; privatim verò ascendentem
ad cœlum Christum Dominum comitemur
Psalmô Davidicô : *Laudate Dominum
de cœlis, Laudate eum in excelsis.*
O quàm sordet terra, dum cœlum aspicio !

III.

E Ja dilecte! neglectis terræ sordibus,
mentem, & oculos ad cœlum convertamus,
ubi Iesus nos expectat. Abiit Christus
in requiem suam. Quando ibimus & nos?
post multam passionem, & patientiam.
In valle lacrymarum, & miseriæ homo
ambulat, quamdiu vivit in terra. Et hanc
tamen ita diligimus? sordescant tandem
vilis glebæ stercora! nati & dati sumus
terræ: Vocati verò ad cœlum.

Instructio meritoria.

Ibi ut nostram inveniamus optatam
requiem, hodiernam sacramentalem
communionem eò ordinemus, diem
certam per hebdomadem pro morte
determinemus, huic specialia opera
designemus, & ut post multos labores
suavi-

Dominica Infra Oct. Ascens. D. 79

suaviter requiescamus in sinu Jesu, & Mariæ, pro dispositione mortis felicissimæ *Litanias Lauretanas* recitemus cum Vesperis ex Officio Defunctorum. Domine! quando venies?

Dominica Infra Octavam
Ascensionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

Monet hodie D. Petrus: *Fratres! prudentes estote, & vigilate in oratione.* Sanè vigilandum, orandum, & sanctè, ac prudenter hīs diebūs vivendum est; quia appropinquat tempus gratiarum. Vivemus autem prudenter, si puritati, ac internæ recollectioni studuerimus exactè. Ah! si Deus intūs, quanta consolatio?

Instructio meritoria.

Pro condigna ergò præparatione ad Spiritūs Sancti Adventum imploremus omnes Sanctos Cœlites per *Litanias Majores*, & manè vix excitati, nos statim è lectis proripiamus, & procidentes in genua suspiremus: *Veni Sancte Spiritus.* Recitemus & hoc die Officium minus

D 4

de